

Q. D. B. V.

**BENEDICTVM
DE SPINOZA,
ATHEISMI CONVICTVM**

**PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SISTENT**

PRAESES

M. IACOBVS STAALKOPFF,

SEDINO-POMERANVS,

ET

RESPONDENS

CHRISTIAN. BENED. LVCIVS,

SORA-LVSATVS.

IN ACROATERIO PHILOSOPHORVM.

D. XIX. AVG. clō lō ccV.

VITEMBERGAE,

STANNO IO. GOTHOFREDI MEYERI.

Coll. diss. A
116, 5

a. CXVI. 5.

BEINHEIDIGUNG
DES SPIGELS

ATHEISMUS

WILHELM DITTMER EXAMIN

SISTENT

1842

M. JACOBUS STAALKOPPE



CHRISTIAN BENED. LUCIUS

1842

IN LEIPZIG

VERLAG VON

STAMM JOHANNES MEYER

1842



I.



Detestandam mortalium peruersitatem, vel ex eo, vt innumera alia taceam, satis superque colligere licebit; quod nullis non temporibus defuerint, vti verarum Virtutum Ofores infensissimi, ita in simul teterrimorum Vitiorum Defensores acerrimi, qui eo progressi sunt audaciae, vt nefanda omnis generis flagitia, venusto Virtutum nomine pingere, atque cohonestare magno conatu sint moliti. Testis hanc in rem citari poterit pestilentissimus liber ANTONINI DIANAE, Scriptoris Pontificii, quem Opera Moralia inscripsit, in quo auctor, qui tamen Morum Doctor cognominari cupit, euidentissime quantum bonis moribus aduersetur ostendit: dum atrocissimorum peccatorum causam, haud dubitauit perorare. Nec benignius merebitur iudicium, fidei eiusdem socius IOANNES CASA Archi-Episcopus Beneuentanus, conscripto tractatu prorsus diabolico, Sodomiae laudes exponente, eamque vt diuinum Opus depraedicante. Animus certe indignatione percellitur, quoties impiissimorum huiusmodi hominum, profanissimam scribendi audaciam in memoriam reuoco, eamque non nisi omnibus modis, arbitror esse abominandam.

A 2

II, Gra-

II.

Grauius tamen illi meo quidem iudicio adhuc peccare videntur, qui eo processerunt impietatis summae, vt negare Supremum aliquod Numen non vereantur, ac in defendendo grauiissimo Vitiorum Atheismo scilicet, sint toti. Nihil enim quod maiorem prae se ferat immanitatem dici potest: maximumque eo ipso laesae Maiestatis Diuinae committitur crimen: dum Creatura suam a Creatore negare dependentiam conatur. Dubitari equidem posset, an vnquam Sol tam emotae mentis aspexerit homines, cum omnium animis insculptus sit quidam Diuinitatis sensus, nisi dubitationem omnem eximerent certissima exempla, tristissimum execrandae huius rei testimonium perhibentia. Loquitur id Gallia, apertissimum immanitatis huius, celebris illius Atheismi Apostoli, ac pro eo Martyris, IULII CAESARIS (Lucilii alias dicti) VANINI a TAVRISANO, Theologi, Philosophi, & I. V. Doctoris exemplum afferens, in quo atro carbone notando operosi imprimis sunt, Celebris Gallorum Historicus GRAMMONDVS (a) & MARINVS MERSENNVS Theologus Parisiensis Ordinis Minimorum Francisci, in Commentar. in Genesin.

III.

Neque est, quod extincto pestilentissimae huius sententiae Propugnatore, extinctam cineribusque ipsius sepultam blasphemam hanc Opinionem credas, vt potius eam latius serpsisse, statuere omnino necesse habeas. Testantur id grauisimae IOANNIS CASI, Oxoniensium Philosophi quaerelae, diserte affirmantis, & monstra haec Atheorum Angliam peruasisse atque inquietasse. Vnum saltem ex Anglis nominare iuuabit, nefarium iudice B. KORTHOLTO In postorem, audacissimum, ac impudentissimum Philosophorum omnium GVILELMO SALDENO teste, THOMAM HOBBSIVM,
Philo-

(a) *libr. I. Hist. ad annum 1618.*

Philosophum Malmesburiensem, Atheismum perperam inter peccata ignorantiae referentem (a).

IV.

Germaniam quoque nostram, pestilenti illo sidere pariter fuisse afflatam B. FALKIVS (b) satis aperte monstrat. De Belgio, Religionum illa sentina, impietatis & nequitiae asylo, in quo execranda impurissimarum Opinionum semina, in ipso Sole liberius spargere audent homines profani, in praesens prolixè dicere nihil attinet; cum ipsemet GISBERTVS VOETIVS Libertinorum, omniumque Fanaticorum Africam appellet (c). In scenam hic quem Belgium fouit, prodire iubebo famosissimum illum Impostorem BENEDICTVM de SPINOZA, insigni pietatis specie Atheismum suum commendare molientem. Quem tamen Atheismi accusandum esse quidam inficiantur.

V.

Facit id inter alios Auctor praefationis in Opera SPINOZAE posthuma, magis scite quam vere pro eò disputans: Haec sunt praecipua eorum (recensuerat enim in antecedentibus quaedam Spinozae placita) quae Philosophus noster, de recta viuendi ratione summoque hominis bono, a ratione dictari demonstrat. Si haec cum iis, quae Saluator noster IESVS CHRISTVS, eiusque Apostoli docuerunt, comparentur, non tantum summa inter ea deprehendetur conuenientia, sed & perspicietur, quae ratio praescribit, eadem plane esse cum iis, quae ipsi tradidere, quin videbit, dogmata moralia Religionis Christianae, perfecte in iis contineri. Plura infra §. 17. afferentur. Quinimo ipse SPINOZA hocce Defensore non contentus, suam in Epistola 34. ad GVILELMVM BLYENBERG

A 3

scripta

(a) in *Cine* Cap. 14. §. 19. & Cap. 15. §. 2. de quo libro iudicium RACHELII plane egregium vid. penes KORTHOLTVM libri de tribus Impost. Sect. II. p. 74. (b) in *Daemonologia* p. 4. (c) *Parte IV. Disp. de atheismo* p. 223.

scripta perorat causam, & si pictis phaleratisque verbis ipsius, quibus colophonem & Praefationi Tractatus Theologico-Politici, & Tractatui ipsi imponit, quae asserunt se sedulo curasse & apprime ut quicquid scriberet, legibus patriae, pietati, bonisque moribus omnino responderet, credendum esset; haud dubito plurimos illum nacturum asseclas, ac facile omnes negativae ab atheismi crimine ipsum ab solvendi esse subscripturos.

VI.

Verum cum haec longe aliter se habeant, haud immerito Viri Celeberrimi, laudeque mea maiores contrariam amplexi sunt sententiam. Quos omnes recensere nimis longum foret: quosdam itaque & praecipuos saltem nominasse sufficiet. Sunt autem illi B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS (a) B. NATHANAEL FALKIVS (b) D. IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS (c) PETRVS POIRETVS (d) B. IO. CHRISTOPHORVS STVRMIVS (e) CHRISTOPHORVS VVITTI-CHIVS (f) Autor praefationis in modo citati VVIT FICHII librum, ut & Autor Epistolae 48. inter SPINOZAE epistolas reperiundae, eum Deista peiorem pronuncians & clam tectis at-

que
(a) non vno in loco libri de tribus Impostoribus. (b) in *Daemonologia* §. 7. p. 4. (c) in *Spinozismo profligato*, qui extat Tomo II. *Phil. Ecclesiae*. (d) in *Notis ad Cogit. Rational.* & in *fundamentis Atheismi euerfis*, quae Editioni secunda Amstelodamensi *Cogit. Rational.* ad calcem accesserunt: in quibus impietates Spinozae & ingenue detexit, & solide refutavit. Quare ipsi etiam Celeberrimus in *Academia Ultraiectiona Professor Philosophus*, GERARDVS de VRIES in praefat. ad *Exercit. Rational.* p. 9. gratias egit pro convulsis egregie Spinozisticae Impietatis fundamentis, illud tamen simul recte notat, admisceri quandoque quaedam Enthusiasmum sapientia. Id quod etiam asserit in *Diatribae de Ideis innatis*, contra ALEXANDRVM ROELL Profess. in *Academia Franekerana scripta pag. 14.* (e) in *Philosoph. Ecclesiae Tomo I. Dissert. III. num. 11. 12. p. 162.* (f) in *Examine Ethices Spinozae p. 9.*

que fucatis argumentis merum Atheismum docere asserens. Horum itaque vestigia, in praesenti Dissertatione premere constitui. Ne vero mihi occini possit, illud Magni quondam ac Celeberrimi Viri B. MORHOFII effatum: Facile esse, inquiens, apud homines imperitos & indoctos, in Atheismi suspensionem, vel ex leuissima causa incurrere: (a) imbecillitatis meae haud immemor, pro viribus tamen, rationibus solidis probabo: Optimo iure SPINOZAM Atheorum cohorti esse accensendum.

VII.

Id autem facturo, necessario quaedam de Benedicti huius (b) Vita, ac sententiarum quas fouit monstris, praemittenda esse censeo, quo deinceps eo rectius ferre liceat iudicium. Genuit eum Amstelodamum, vbi & educatus est, literisque diuinius praesertim operam nauauit sedulam. Parentibus natus Iudaeis, Iudaicis pariter sacris nomen dedit suum, quem tamen cum ab ineunte statim aetate monstri aliquid aleret, portentis sententiarum permoti suarum, a religione sua Sacrorum Antistites arcuerunt. *Ἀποσυναγωγος* itaque factus, ad castra Christianorum transiit, ac maturescente sensim ingenio in eo totus fuit, ut ad ductum CARTESII Philosophiam probe imbiberet. Ne vero ab iis, cum quibus ipsi aliqua intercessit familiaritas, a philosophando aliquantisper abstraheretur, relicto Amstelodamo, Rhinoburgum, Voorburgum, ac tandem Hagam Comitum se contulit: vbi etiam anno 1677. annos 44. natus, phtisi confectus, diem obiit supremum. Publicam docendi prouinciam,

(a) in Polyhist. libro 1. Cap. VIII. pag. 74. (b) Benedictum hunc, Maledictum potius appellandum esse censent B. KORTHOLT in libr. de Tribus Impost. Sect. III circa initium, & Illustris ac Magnificus Academiae Gryphicae Pro-Cancellarius D. D. IO. FRID. MATER, in Praelectionibus in Lucam Publicis, eo quod spinosa ex diuina maledictione terra, maledictum magis hominem & cuius monumenta tot spinis obsita vix unquam tulerit.

ciam, etsi amplissima in Academia Heidelbergensi, a IO. LV-
DOVICO FABRITIO, eiusdem Academiae Professore, & Ele-
ctoris Palatini Consiliario, mandante ita Electore, ipsi offerretur,
ac insimul philosophandi promitteretur libertas, ille tamen
hanc ipsam libertatem non adeo amplam fore ratus, honorifi-
cum illud munus est aspernatus (a).

VIII.

Otium igitur indulgit suo, ac varia concinnavit scripta, quae
recensuerunt B. KORTHOLTVS (b) & Autor praefationis in
Opera eius posthuma pag. 3. Ipso adhuc viuento, edita sunt
Cartesii Principiorum Philosophiae Pars I. & II. a Spinoza or-
dine Geometrico demonstratae, Cogitata Metaphysica, & Tra-
ctatus Theologico-Politicus. Qui ultimus non Hamburgi
vti titulus prae se fert, sed Amstelaedami teste GVILELMO
SALDENO, quanquam sumptibus Medici cuiusdam Hambur-
gensis, cui nomen KERKRINGIO, quod Magnificus D. D.
MAYERVS asserit, est editus: quemque iure optimo, Atheismi
strictissime dicti synopsis seu compendium cum KORTHOL-
TO (c) vocaueris. Quippe in quo, apertius ac liberius, teterri-
mum impietatis suae virus sparsisse mihi semper est visus. Po-
sthumum sunt, Tractatus Politicus, de Emendatione intellectus
liber, Epistolae, Compendium Grammaticae Hebraeae, & quam
primo nominare debebam loco, Ethica ordine Geometrico
demonstrata. In qua Atheisticus hic Euclides, non demon-
strasse; sed decepisse censendus est, cum id tantum egerit, vt im-
piissimas Opiniones suas, Mathematicarum Demonstratio-
num fucis pingeret, chymaericasque Propositiones suas, abo-
minanda prorsus astutia, Angelicis verbis construeret. De
qua proinde versutia, tenebrisque & obscuritatibus in ea laten-
tibus,

(a) Testantur id Epistolae LIII. & LIV. inter Spinozae Epistolas. (b) in
Tract. de Tribus Impostoribus Sect. III. §. 2. p. 76. (c) l. c. §. 5. p.

tibus, grauiter conquesti sunt PETRVS POIRETVS (a) & GERARDVS de VRIES (b). Quam propterea Ethicam, haud praeter rem Infernalis Ethices Systema, Curriculum & Catechismum Atheismi absolutum, idem POIRET appellauit; (c) quoniam in ea, vna cum Tractatu Theologico-Politico errores suos praecipuos SPINOZA consignauit. Qui in eo cum primis consistere videntur, quod DEVM in Mundi Machinam Metamorphosi plus quam Ouidiana transformare, Fatalem rerum necessitatem asserere, Sacram Scripturam diuina inspiratione priuare &c. magno conatu allaboret. Plura dabunt KORTHOLTVS (d) SCHOMERVS (e) MORHOFIVS (f) FALKIVS (g) Illustris ac Magnificus D. D. MAYERVS, Praeceptor omni obseruantiae ac submissionis cultu aeternum deuenerandus (h).

IX.

Sectatores apertos, si a Praefatore saepius nominato discesseris, quantum ego quidem sciam, vix nactus est SPINOZA, ni huc etiam referre velis IO. BREDENBURGIVM, qui Tractatum Theologico-Policum optime refutauit, in Scripto belgice primum ab Autore conscripto, latine postmodum Roterodami 1675. in 4t. sub titulo Eneruationis Tractatus Theologico Politici edito: at a quibusdam nihilominus Spinozismi arguitur, cum tamen non sine religionis signis mortuus sit. Conferatur PETRVS BAELIUS in Dictionario Historico-Critico Tomo III. p. 2774. Quicquid

B enim

(a) in *Discursu Praeliminari ad Cogit. Rationales* p. 78. seqq. 209. in *Notis ad Cogit. Rational.* & alibi. (b) in *Exercit. Rational.* *Exercit. IV.* p. 44. (c) *l.c.* p. 217. (d) *l. saepius cit.* p. 82. seqq. (e) in *Collegio Nouiss. Controv. Cap. II. §. 1.* p. 14. (f) in *Polyhistoris libr. I. Cap. VIII. de libris Damnatis* p. 74. (g) in *Dissert. I.* p. 4. & 5. *Daemonolog.* & *Dissert. III.* p. 58. (h) in *Doctissima de Autographis Bibli- cis commentatione, quae reperitur in Disp. Selectis* p. 546. seqq. ubi insimul Pererii, Hobbesii, & profanissimi acuminis Criticorum Rich. Simonii & Iob. Clerici, periculosas de Diuinis literis sententias & accuratissime recensuit & doctissime confutauit.

enim huius sit, plures tamen in refutatione huius Athei sunt ver-
fati, cum illis §. 6. supra citatis, ut alios taceam, addi possint PE-
TRVS DANIEL HVETIVS (a) HERMANNVS VVITSIVS (b)
REGNERVS a MANSVELT (c) & qui a Cl. STRVVIO (d) recen-
sentur, LAMY namque & IACOBVS ABBADIE. De Vita Spi-
nozae interea plura qui cognoscere cupit adeat Autorem praefa-
tionis in Opera eius posthuma, KORTHOLTVM (e) & FAL-
KIVM (f).

X.

Hunc igitur quem vidimus SPINOZAM, recensitarum O-
pinionum ergo, Atheismi insimulare quis dubitet? quicquid et-
iam in contrarium disputent Autor supra §. 4. nominatus: id
quod ulterius & ad oculum patebit, si modo ad ipsam Atheismi
naturam paulo accuratius attenderimus. Hac siquidem probe
considerata, optimo iure collectionem a Definitione ad Defini-
tum institui posse prorsus confido. Cuius tamen Atheismi Defi-
nitionem ac Diuisionem, in Theoreticum & Practicum tradere
superuacaneum foret, cum haec notissima sint, ac passim a Theo-
logiae Naturalis Scriptoribus tradantur. Ac cum Atheismum
speculatiuum, in Directum, Indirectum, & participatum vulgo ite-
rum distribuunt, GISBERTVS VOETIVS (g) merito hic consu-
lendus erit, utpote qui omnium harum specierum Definitiones
suppeditat. Neque necessitas postulat, ut Diuisionem Atheismi
in Crassum, subtilem, & subtilissimum fuse exponam, cum & eam
tradiderit modo laudatus VOETIVS. Vberrimam autem mes-
sem Auctorum, qui de atheismo, & contra eundem scripse-
runt, dabunt B. PFEIFFERVS (h) GISBERTVS VOE-
TIVS

(a) in *Demonstrat. Euangelica Prop. IV. p. 298. seqq.* (b) in *Miscell. Sacr. Libr. I. Cap. VII. IX. XIV. & seqq.* (c) in *Refutatione Tractatus Theologico-Politici Amstelodami 1674. in 4t. edita.* (d) in *Bibliotheca Philoſophica Cap. V. §. 26. p. 99.* (e) *l. c. p. 75. seq.* (f) *Dissert. III. p. 57. seq.* (g) *P. I. Disput. Select. de Atheismo P. I. p. 117. 122. seqq.* (h) in *Intraductione ad Theol. Positivo-Polemiam B. KROMAYERI.*

TIVS (a) & Cl. B. G. STRVVIVS (b). Iis tamen quos laudati Viri recensuerunt, addere licebit IMMANVELIS VVEBERI *Beurtheilung der Atheisterei*/ VRIESII Exercitationem III. RICHARDI BENTLEII Concionatoris Aulici Londinensis, Canonici VVorcestrensis, & Bibliothecarii Regii Orationes VIII. de Stultitia, & irrationabilitate Atheismi (c) POIRETI discursum praeliminarem ad Cogitationes Rationales p. 50. 59. (d)

XI. Plures adducere nolo, de eo tantum quod caput rei est sollicitus, ad quamnam praecipue Atheismi classem SPINOZA referri mereatur. Ita autem statuo: nefarium hunc Impostorem, optimo iure Atheum theoreticum indirectum, specialissime vero Naturalistam posse vocari. Quae ultima eo accipi nolim, ac si eum erroris quem FRANCISCVS IVCCIUS, EDOARDVS HERBERTVS de CHERBVRY, PETRVS CHAVVIN, aliique errarunt, homines fide naturali salvari posse contendentes, reum facere animus esset; ideo saltem eum Naturalistam vocans, quoniam DEVM ceu naturam naturantem, cum mundo natura naturata confundere haud est veritus, atque adeo his loquendi formulis abusus est, dum eadem, quae alias Orthodoxi sano sensu de natura naturante dixerunt, ille conatu prorsus impio ac profano perperam ad naturam naturatam applicavit.

XII. Sententiam itaque meam, quam superiori proposui paragrapho minime obscuram illi esse posse existimo, qui breuiter antea adducta, & prolixius iamiam diducenda sententiarum quas SPINOZA fouit monstra, paulo accuratius atque penitius penes animum reputarit suum. Is quippe Atheismi & quidem indirecti haud immerito postulabitur, cui voces aequis ac piis rerum aestimatoribus alias diuersae, DEVS scilicet ac MVNDVS aequi polere videntur: Mundum enim DEVM facere, & DEVM negare

B 2

etsi

(a) *l.c. Disp. de Atheismo Parte 4. p. 210. seq.* (b) *in Bibliotheca Philosoph. Cap. 5. p. 98.* (c) *Orationes has ex Anglico in Latinum transtulit Idioma. DANIEL ERNESTVS IABLONSKI.* (d) *Novem Atheismi species enumerat POIRET in quibus tamen usque adeo accuratus non esse videtur.*

et si expressis quidem verbis idem non sonent, eadem tamen qua legitimam consequentiam gaudere significatione arbitror. Ut eo clarius appareat, in quo argumenti vis sita sit, licebit illud secundum consuetam Logicis argumentandi rationem, sequentem in modum proponere: Quicumque mundum constituit DEVM, ille est Atheus indirectus. Atqui Spinoza &c. E. Propositionis Connexio facile probari potest. Omnis enim ille id DEVM reputans, quod non est Deus, & praeter illud quod ipse credit Deum, nullum aliud admittens Numen, nullum plane statuit DEVM. Ad Subsumptum quod attinet, illud ex SPINOZAE scriptis evidentissime ostendi potest. In Ethica enim sua (a) non dubitat, insanum hunc errorem suum, Mundum esse DEVM, & omnes res particulares nil nisi modos DEI esse, variis quaesitis coloribus palliare & propugnare. Propositionum hanc in rem facientium praecipuae hae sunt in Parte I. Prop. V. VI. VIII. XIV. XV. XVI. Parte II. Prop. VII. in Scholio Prop. XI. in Corollario Parte IV. Prop. 4. in Demonstrat. Nec aliud vult Tractatus Theologico-Politici (b) Cap. I. p. 14. in qua haec leguntur verba: *Naturae potentiam, nullam esse nisi ipsam Dei potentiam*, cum quibus conferantur ea quae in eodem Tractatu Cap. III. p. 32. Cap. IV. p. 46. & Cap. VI. p. 96. afferruntur. Addi his meretur notabilis satis locus, qui reperitur in Tract. cit. Cap. III. p. 31. cuius verba hic adscribere, haud praeter rem futurum esse, existimo. Ita autem inquit: *Per Dei directionem, intelligo fixum illum & immutabilem naturae ordinem, siue rerum naturalium concatenationem.* Deinde pag. 32. pergit: *Siue*

igitur
 (a) Ethicam suam quousque viueret, publicae exponere luci SPINOZA noluit, veritus forsanne in tam absurdum Atheismi Patronum aliquanto grauius animaduerneretur, morti vero vicinus editionem eiusdem commendauit suis: his tamen additis ne nominis SPINOZAE fieret mentio, idque eam ob causam uti Autor praefationis indicat ne Disciplina ab eo haberet nomen hoc est interprete POIRETO ne disciplina atheorum siue atheismus imposte-rum vocaretur Spinozismus, essetque unum & idem Atheus & Spinozista.
 (b) Fata huius libri recenset ipse SPINOZA Epist. XIX. ad HENRICVM OLDENBURGIVM per scripta.

igitur dicamus, omnia secundum leges naturae fieri, siue ex Dei decreto & directione ordinari, idem dicimus. Si itaque iam ad tritum illud Theologorum: Omne quod est in Deo, est ipse Deus, attenderimus, liquido patebit, Dei potentiam quia est in Deo, esse ipsam Dei essentiam, & per consequens Deum ipsum, quod & ipse SPINOZA in Ethicae P. I. Prop. 34. non diffitetur. Si igitur potentia naturae, est potentia Dei (per ipsa antea a Spinoza dicta) & potentia Dei est ipsa essentia Dei, & Deus ipse, necessario sequetur essentiam naturae esse ipsam essentiam Dei, & quod inde sequitur Deum ipsum. Quibus quid clarius dici possit nescio, adeo ut non vltiori horum explicacione aut probatione penes hominem haec credere nolentem; sed sola potius obtestatione opus esse videatur.

XIII. Quinimo loquuntur id porro & ea, quae impius hic homo in Ethices P. I. Prop. XVIII. de Deo, causa omnium rerum non transeunte, vti haftenus Orthodoxi Theologi, pariter atque Philosophi senserunt; sed immanente differit. Cuius tamen effati falsitatem statim reperire licet, si modo ad receptam hucusque Causae immanentis definitionem, aliquantisper attendatur. Cum enim mundus sit Ens aliquod ab infinita Dei essentia plane diuersum, ac realissime prorsus distinctum, Deum nullo plane modo causam eius immanentem dici posse, arbitror. Fusius ac disertius contrariam SPINOZA exposuit sententiam in Epist. XXI. ad OLDENBURGIVM data his verbis: *Deum rerum omnium causam immanentem vt aiunt, non vero transeuntem statuo. Omnia inquam in Deo esse, & in Deo moueri cum PAVLO affirmo, & forte etiam cum omnibus antiquis Philosophis, licet alio modo.* Quae verba dum perpendo, diabolicam prorsus *ψευδῆσυνείων*, ac profanissimi ingenii audaciam, ipsum DIVI PAVLI effatum pro se adducentis non possum non detestari: quam propterea KORTHOLTVS (a) & CHRISTOPHORVS VVITTICHIVS (b) merito castigarunt. In eo vero, dum ad consensum omnium antiquorum Philosophorum prouocauit, facile assensum meretur, quosdam ex iis eodem etiam cum SPINOZA sensisse modo. Id quod pluribus demonstratum dederunt, PETRVS BAEIIVS (c) BVDDEVS (d) Admodum Reuerendus DN. M. SAMVEL LVCIVS, Praeceptor quondam omni honoris gradu prosequendus (e) GERARDVS de VRIES, Spinozismum recoctum aliquem Atheismum PLINII appellans (f). Vt iam de consensu IACOBI BOEH-

(a) I. soepius cit. §. 16. p. 96. (b) in *Anti Spinoza* p. 22. (c) in *Dictionary Hist. Crit. passim* (d) in *Spinozismo ante Spinozam*. (e) in *eruditissima de Religione Dissert. §. 9. 10. 11.* (f) in *Exercit. Rati. -al. Exercit. IV. p. 43. seqq.*

BOEHMII Philosophi Teutonici, Cabbalistarum (a) aliorumque nihil dicam, illud silentio praetermittendum non esse videtur quod & Sineses hodierni, amice cum SPINOZA conspirent. Ea enim quae Magnif. DN. D. MAYERVS (b) ex Confucio affert, iisdemque ferme verbis repetit BVDDEVS (c). clare indicant: eosdem praeter Enthusiasum & Theologiae mysticae studium, & Atheismi speciatim vero Spinozismi reos esse.

XIV. Illam autem controuersiam; Vtrum Aristoteles etiam cum Spinosa senserit, quod praeter CLEMENTEM ALEXANDRINVM, & SAMVELEM PARKERVM, ab Admodum Reuerendo DN. LVICIO in Dissert. nominatae §. XI. citatos, autor praefationis in VVittichi Anti-Spinozam probare conatur, meam impraesentiarum facere nolo, illud potius consideraturus, qua ratione Spinofissimus SPINOZA, inductus fuerit vt Deum rerum omnium causam immanentem statueret. Mea quippe hoc de negotio sententia haec est: Dixerat enim (vt eo melius atheismo patrocinaretur suo) vnā substantiam non posse produci ab alia, cum vna tantummodo sit substantia, eademque necessario infinita, ne scilicet admittere cogereetur creationem substantiae mundanae, a substantia Creatoris diuersae, quam id circo cum ROBERTO a FLVD Scriptore Anglo, ac mirabilis ingenii homine (d) tanquam rem contradictionem inuoluentem, vehementer ridet. Eam tamen quam crepat contradictionem, nullam esse VVITTICHIVS in Epistola Examini Ethices Spinozae subiuncta, doctissime ostendit. Ne vero hi homines eorumque similes se defendere possint trito illo Metaphysicorum: Ex nihilo nihil fit, in subsidium vocanda doctissima illius effati explicatio quae GERH. VRJESIO debetur, quaeque hic adscribi meretur. Ita autem inquit: *Ex nihilo nihil fit; quatenus scilicet ex nihilo, per ipsum nihilum, siue virtute ipsius nihili, nihil produci potest; nihilque adeo alicuius principium esse nequit* (e). Satis iam opinor, probatum erit SPINOZAM mundum habuisse pro Deo, iam pariter probandum foret, Mundum non esse posse Deum, ex quo deinceps consequitur SPINOZAM fuisse Atheum indirectum; sed otium mihi fecerunt IO. BREDENBURGIUS, in Demonstratione Geometrico ordine disposita, Naturam non esse Deum: quae adiecta est Eneruationi Tractatus Theologico Politici eiusdem

(a) Testatur id IO. GEORGIUS VVACHERVS in peculiari libro quem in scripsit Spinozismum im Judenthum. (b) in Dissert. Selectis p. 380. seqq. (c) in Historia Philosophica Philosophiae Eclecticae praemissa Cap. VI. p. 94. (d) Ita eum appellat MORHOVIUS in Polybist. Libr. II. Cap. VII. p. 394 (e) in Exercit. Rational. Exercit. XXIII. p. 182.

iusdem Autoris, BVDDEVS in Spinozismo profligato, VVACHTERVS in Spinozismo im Judenthum P. II. & Celeberrimus VRIESIVS, quorum ultimus breuiter quidem, solide nihilominus haec exposuit. Fusius ea persequi instituti mei ratio non permittit, sed ad alia properare iubet argumenta.

XV. Pergo igitur argumentando: Quicumque Spiritualitatem Dei negat, negat Deum ipsum: SPINOZA hoc facit E. Maioris connexio sua radiat luce, nec vlla egere videtur probatione quae tamen facile dari potest: negata siquidem Spiritualitate negatur ipsa Dei essentia, cum Spiritualitas sit Dei essentia: negata Dei essentia, negabitur Deus ipse. Minor ex antecedentibus dispalescit: dum enim SPINOZA mundum dicit Deum, qui corporeus est, Spiritualitatem Dei neget, necesse est. Quam in rem ulterius, ille impiissimorum mysteriorum Sacerdos, in Ethicae suae Parte II. Definit I. scribit: Per corpus intelliga modum, qui Dei essentiam, quatenus vt res extensa consideratur, certo ac determinato modo exprimit. Quinimo peculiarem de Extensione, quod sit attributum Dei formauit, Propositionem quae II. est Partis III. Ethicae: cuius tamen effecti falsitatem solide demonstrauit Praeellentissimus DN. SCHOENINGIVS, Praeceptor omni submissionis cultu deuenerandus, in Pneumatica MS Cripta.

XVI. Alia adhuc, & cum primis a contemptu quo SPINOZA Scripturam despicit Sacram petita, in medium afferri possent ratiocinia, ni haec ad Theologicum spectarent forum & ea quae proposuimus facile sufficere possent. Plura qui desiderat, is conferre poterit POIRETVM (a) asserere haud dubitantem Deum SPINOZAE nihil aliud esse, quam Porphyrii tabulam vel arborem praedicabilium. Si cui haec nondum suffecerint, consulat appendicem Partis I. Ethices, in qua hic Atheismi Parens, eos qui asserunt esse Deum, eumque res omnes creasse ac etiamnum conseruare, magnopere reprehendit, ac praeeudicio laborare asserit: quod vnicum indicio grauissimo esse poterit, cum ab atheismo non esse absoluen- dum. Finem impono §. huic verbis POIRETI, omnia quae haecenus de SPINOZA dicta sunt, in synopsi exhibentibus, quorum sensus est sequens: SPINOZAM ex Barucho factum esse Benedictum, ex Iudaeo Christianum, ex Christiano Deistam, ex Deista atheum (b)

XVII. Quid vero ad haec Encomiastes Spinosae insignis, eiusdemque Defensor acerrimus, saepius nominatus Autor praefationis in Opera eius


(a) in *Cogitationibus* p. 110. 112. 152. *Omniū vero clarissime quid Deus Spinozae* p. 748. (b) in *Discursu Praelimirari ad Cogitationes Rationales* p. 77.

posthuma? aegre ille fert magno huic Philosopho, & secundum eius sententiam monopolium sapientiae possidenti, Atheismi inuri labem, ac contrarium ex ipsis diuinioribus literis probare conatur. Summa verborum eius huc redit: Spinozam fuisse Virum sapientem: adeoque ipsum Atheismi, quem stultitiam sacra appellet pagina postulari iure non posse. Argumentari mihi sequentem in modum videtur: Quicumque est sapiens, ille non est atheus: Atqui Spinoza &c. E. Enimvero respondetur, sapientiae vocabulum esse ambiguum: Vel enim in sensu proprio accipi poterit, qua ratione nulla sapientia, sine vera Dei cognitione dari potest; vel in sensu improprio, in quantum illa sic dicta sapientia, saltem ad res naturales se extendit. Si itaque priori modo sumatur sapientiae vox, conceditur equidem Maior quod nempe ille qui ea ratione sapiens est, atheus non sit; sed negatur Minor, Spinozam eo in sensu fuisse sapientem. Accepta vero voce sapientiae in posteriori significatione negatur connexio Maioris: Nil enim obstare video, cur homo in rebus naturalibus ac mundanis satis prudens, ingeniique acumine pollens, vera tamen Dei cognitione destitutus, & ingenio suo pessime abutens, Atheus esse non possit, cum sint qualitates compatibles, quae vni subiecto citra expulsionem mutuam commode inhaerere possunt. Placent enim verba VRIESII quae Exercit. III. §. 1. p. 26. circa initium habet. Quibus consona tradunt BENTLEIVS in Orat. I. super verba Psaltis Psalm. 14, 1. & PETRVS CHAVVINVS in Tract. de Relig. Natural. libro I. Cap. III. p. 25. elegantissime de stultitia Atheorum differentes.

XVIII. Pari cum modo adductis imbecillitate laborant, quae idem Autor de concordia Spinozae cum CHRISTO & Apostolis, variis hanc in rem adductis Scripturae testimoniis, operose disputat. Facili enim negotio discordia inter CHRISTVM, Apostolos, atque SPINOZAM ostendi posset; cum nullam lucis cum tenebris CHRISTI cum Beliale communionem intercedere posse diuinitus edoceamur, ni hoc ipsum Theologis esset relinquendum.

XIX. Ex ipsis tamen Spinozae scriptis, in quibus mentionem Dei, Diuinorum Attributorum, Gratiae Dei, Pietatis &c. facit, quaedam contra me vrgeri posse sentio, quae proinde refellere mearum esset partium. Cum vero id praestiterint Viri Celeberrimii ac in reiiciendis Scriptis Spinosticis egregie & summa cum laude versati, mea hic facile silere poterit infantia. Sufficiet interim B. L. ad saepius citati libri B. KORTHOLTI de tribus Impostoribus Magnis pag. 87. seqq. ablegasse.

T A N T V M!



Coll. des. A. 116, misc. 5